17

Concessio unius Altaris privilegiati quotidiani perpetui

FACTA A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO DOMINO

BENEDICTO PAPA XIV.

Ecclesiis Fratrum Ministro Generali totius Ordinis Sancti Francisci subjectorum.

INTUS

BEATISSIME PATER

FRater Raphael à Lugagnano Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Minister Generalis ad pedes S. V. humillimè pervolutus exponit, quod san. mem. Benedictus XIII. sub die 14. Decembris 1725. dignatus fuit omnia Altaria privilegiata quotidiana variis Ecclesiis dicti Ordinis in perpetuum jam concessa approbare, & confirmare; Iis verò ejusdem Ordinis Ecclesiis, quæ tali privilegio quotidiano in perpetuum non gaudebant, concessit illud, sed proportionatè ad Missarum numerum, quæ in eis celebrantur; Videlicet pro quinque feriis in hebdomada, iis Ecclesiis in quibus 25. Missæ quotidie celebrantur: Pro quatuor feriis, iis in quibus 20.; Pro tribus, in quibus 15., & sic gradatim; Cum autem, Beatissime Pater, comprobaverit experientia, hoc minimè sufficere ad satisfaciendum Populorum devotioni, & ex alia parte variæ quotidie insurgant difficultates, ex eo quod non semper idem Missarum numerus in dictis Ecclesiis celebretur, nec celebrari valeat; Ideò enixè S. V. supplicat Orator, ut, prævia revocatione privilegii Altarium pro determinatis hebdomadæ feriis, ut supra, per san. mem. Benedictum XIII. concessi, dignetur cuilibet Ecclesiæ Fratrum Oratoris jurisdictioni subjectæ, Altari privilegiato quotidiano perpetuo non decoratæ, unum concedere, ab Ordinariis Locorum semel designandum, & hoc, per Rescriptum, seu aliter, ut S. V. benevisum fuerit. Et Deus &c.

FORIS

SS. D. N. D. BENEDICTO PAPA XIV.

PRO

Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI

Ex Audientia Sanctissimi die 17. Decembris 1748.

SAnctissimus benignè annuit pro gratia juxta petita, pro Missis tamen, quæ à Fratribus Minoribus S. Francisci in Altaribus per Ordinarios respectivè designandis, celebrabuntur; & voluit etiam Gratiam hujusmodi per hoc præsens Rescriptum perindè valere, ac si per Apostolicas Literas in forma Brevis solitis omnibus muniti Clausulis expedita fuisset.

Joseph Levizzani Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ MDCCXLVIII.

Concordat cum suo originali. In quorum

fidem f.ca Rome ex Aracœli die 23. Xbris 174

F. Joseph M.a de Fan

Procur. Gen. ordis

Compañero mio, y mi Amigo